

& iis, quibus ab eodem populo Romano, & ab eo ad hoc pro ipso Populo deputatis, tam in Italia, quam extra Italiam ubilibet facultas & licentia per dictum tempus desuper concessa fuerit, prout nos eidem populo Romano & eisdem ab eo deputatis, ut huiusmodi licentiam & facultatem tam in Italia, quam extra Italiam ubilibet cuiumque, & quibuscumque ipsi Populo Romano, seu ejus deputatis visum fuerit, significatâ prius nobis, & approbatâ personâ, concedere, illamque sic concessam prout, & quando sibi placuerit, revocare liberè, & licitè valeant, indulgemus, impressum, & imprimendum tenere, vendere, dare, donare, vel aliâs quomodolibet habere, vel transferre: neque etiam ipsi absque expressâ etiam in scriptis licentia ejusdem Populi Romani, & ab eo Deputatorum dictum Gratiani Decretum cum ipsis annotationibus, & Extravagantibus, ut dictum est, prædecessoris nostri Decretalibus, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus, ut dictum est, imprimere, nec per dictum decennium ab eis, vel aliis præterquam à dicto Populo Romano, & ab eo Deputatis, vel de eorum licentia, ut præfertur, impressum, & imprimendum aliâs habere, seu tenere, aut etiam vendere, vel donare, seu imprimi, teneri, vendi, donari, aut aliâs transferri facere per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè, directè, seu indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio audeant, seu præsumant: ita quòd etiam nulli omninò hominum tam in urbe, & tota Italia, quam extra ubivis Terrarum, Regnorum, Regionum, & Provinciarum totius Orbis liceat huiusmodi libris dicti Juris Canonici sic, ut præfertur, de mandato nostro recognitis, correctis & expurgatis quicquam addere, detrudere, vel immutare, aut invertere, nullâve interpretamenta adjungere, sed prout opus huiusmodi Romæ nunc impressum fuit, semper & perpetuò integrum & incorruptum conservetur, statuimus, sancimus, & ordinamus. Mandantes universis, & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis, & eorum Vicariis in spiritualibus, & temporalibus, & in statu temporali sanctæ Romanæ Ecclesiæ etiam Legatis, Vicelegatis Sedis Apostolicæ, ac ipsius status Gubernatoribus, Potestatibus, & Locumtenentibus, ut quoties pro parte dicti Populi Romani, & ab eo Deputatorum, seu licentiam & facultatem ab ipsis, ut præfertur, pro tempore habentium, fuerint requisiti, vel eorum aliquis fuerit requisitus, eisdem Populo, & Deputatis, ac ab ipsis licentiam & facultatem habentibus, efficacis defensionis præsidio assistentes præmissa ad omnem Populi Romani & ab eo Deputatorum prædictorum licentiam, seu facultatem habentibus, requisitionem contra inobedientes, & rebelles etiam per censuras Ecclesiasticas, etiam sæpius aggravandas, & per alia Juris remedia autoritate Apostolica exequantur: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis. Et insuper quia difficile admodum esset præsentibus Literas ad quælibet loca deferri, Volumus, & eadem Apostolica autoritate decernimus, illarum transumptis, & exemplis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo Curie, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, & etiam in ipsis operibus impressis plenariam, & eandem prorsus fidem ubique tam in iudicio, quam extra iudicium haberi, quæ præsentibus haberetur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumque locorum, Gymnasiorum, & Universitatum, etiam Studiorum generalium juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis etiam illis, & illorum, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, & approbatis, ac in posterum concedendis, & approbandis. Quibus omnibus etiam si de illis specialis mentio habenda esset, eorum tenores præsentibus pro expressis habent. Illis aliâs in suo robore permanfuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientem plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die prima Julii, M. D. LXXX. Pontificatus nostri anno nono.

CÆ. GLORIERIUS.

DECRETUM

DECRETUM ABBREVIATUM

SIGILLATIM CUNCTA ATTINGENS.

Liber Decreti divisus est in tres Partes: quarum prima est de Distinctionibus, Secunda de Causis, Tertia de Consecratione.

PRIMA PARS

DISTINCTA EST IN DISTINCTIONES CENTUM ET UNAM.

P R I M A Distinctio tractat de Jure Naturali & Humano, Jus ipsum naturaliter ejusque species omnes diffiniens, & inter Jus scriptum & Non scriptum differentiam ponens, pag. 1. a

Secunda, de Jure Quiritum sive Romanorum, ipsum per species diffiniens, 2. a

Tertia, Juris Canonici varia nomina distinguit, breviterque exponit, *ibid.* b

Quarta, ad quid Leges inventæ sunt: & quid sacri Canones mandent, 3. a

Quinta, quomodo Jus Naturale est immutabile: nec obstat quòd ibi ponitur, 4. a

Sexta, an Illusiones nocturnæ ad peccatum imputentur: & circa finem prosequitur de Juris Naturalis dignitate, *ibid.* b

Septima, ponit Legislatores: ostendendo qualiter Jus inceperit, 5. b

Octava, ponit differentiam inter Jus Naturale & Consuetudinem, 6. a

Nona, autoritate & exemplo probat Constitutiones hominum Juri Naturali cedere, 7. a

Decima, ostendit, quòd Leges Imperatorum vincuntur à Canonibus, 8. a

Undecima, dicit Consuetudinem Legibus approbatis cedere, 9. b

Duodecima, habet laudabilem Consuetudinem esse servandam: quæ nec Canonibus facris, nec veritati, nec bonis moribus obviet, 11. b

Decima tertia, vult quòd contra Jus Naturale non admittatur dispensatio: nisi in fuga majoris mali, 13. a

Decima quarta, quòd quis non debet minus peccatum committere, ut aliud minus evitare possit, *ibid.* b

Decima quinta, notat de tempore quo sacri Canones, Librique & Concilia celebrata fuerunt: & quæ opuscula sunt admittenda, 14. a

Decima sexta, ponit quòd Canones Apostolorum sunt recipiendi: postea ostendit quo tempore, & quo residente in Papatu, vel Imperio quodlibet Concilium est celebratum, 16. b

Decima septima, dicit non Concilia, sed Conventicula celebrari sine Papa, 20. b

Decima octava ostendit quòd Provincialia Concilia nihil generaliter possunt constituere: idèò consequenter declarat ad quid sint utilia, & quoties in anno, & quo tempore anni, & cujus autoritate sunt celebranda, & quòd Metropolitanus nihil debet exigere ab Episcopis ad Concilium conveniendum. Addit de pœna Episcopi qui vocatus ad Synodum non venit, 21. b

Decima nona, vim Decretalium ostendens dicit Mandata Ecclesiastica devotè servanda, 23. b

Vigesima, dicit quòd in causis diffiniendis sacri Canones: in exponenda verò sacra Scriptura sancti Doctores attenduntur, 26. a

Vigesima prima, tractat de diversis Ordinibus & gradibus Ministrorum, docendo qui sunt executores sive ministri Canonum, à majori usque ad infimum. Et differentias Ministrorum locorum assignat, probans quòd major à minor non debet judicari, *ibid.* b

Vigesima secunda, de dignitate Romanæ Ecclesiæ, & quarundam aliarum, 28. b

Part. I.

Vigesima tertia, de ordinatione Ministrorum, incipiens à Romano Pontifice, & descendens usque ad Oltiarium, 30. a

Vigesima quarta, de examinatione Ordinandorum, 33. b

Vigesima quinta, de officiis Clericorum, incipiendo ab Oltiario, & ascendendo usque ad Episcopum: circa medium Distinctionis inchoat tredecim præcepta Regule Apostolicæ, & prosequitur ibi, *Oportet Episcopum esse sine crimine.* Et inde nacta occasione, ponit varias significationes hujus nominis, *crimine.* Et ostendit quòd sit mortale & quòd veniale, 34. a

Vigesima sexta, exequitur secundum præceptum Apostolicæ Regule, *Oportet Episcopum esse virum uxoris vitrum,* 36. a

Vigesima septima, probat quòd nolentes vivere continentiam, ad sacros Ordines promovendi non sunt; assignans differentiam inter solenne & simplex Votum, 37. a

Vigesima octava, probat quòd Clericis habere uxores non licet in Ecclesia Occidentali; addens de Subdiaconatu, qui olim prohibitus non erat. Vide quòd ibi notatur, *ibid.* b

Vigesima nona, ostendit quædam Capitalia tradita esse ex causa, quædam ex tempore, quædam ex loco, quædam ex persona, 39. b

Trigesima, quia dictum fuit, 28. *dist. supra*, quòd Sacerdotes non debent à se abicere uxores suas prætextu Religionis, hic dicit quòd ex causa fuit hoc statutum, scilicet propter quosdam Hæreticos, qui conjugia detestabantur, 40. a

Trigesima prima, probat & ponit exempla in terminis qualiter Clerici continere debent; & quòd ab omnibus est servanda continentia, nisi ab Orientalibus, 41. b

Trigesima secunda, adhuc prosequitur de continentia Clericorum; & dicit quòd constituti in quatuor sacris Ordinibus tenentur continere, & si habent publicas concubinas, nullus eorum Missam audiat, 43. a

Trigesima tertia, ostendit quòd bigami, corpore vitiat, usurarii, publicè poenitentes, in scena ludentes, furiosi, arreptii, accipientes meretrices in uxores, & concubinas habentes, promoveri non possunt, 45. b

Trigesima quarta, ponit quòd oportet Episcopum vitare nimiam familiaritatem domesticarum personarum, & etiam consanguinearum, & quòd venari non licet, 46. b

Trigesima quinta, agit de tertio capitulo Apostolicæ Regule, *Oportet Ordinandum non esse vinolentum,* 48. b

Trigesima sexta, exponendo illud, *prudenter*, dicit quòd Clerici debent habere peritiam Literarum sacrarum, 49. b

Trigesima septima, ostendit quòd Clerici non debent libros Gentilium respicere; peritiam tamen secularium Scientiarum debent habere, 50. a

Trigesima octava, probat quòd Literis debet esse eruditus Sacerdos, & Canones ignorare non debet: ignorantia enim ipsi est periculosa, 52. a

Trigesima nona, ostendit quòd oportet Episcopum esse prudentem in negotiis secularibus, ut sua cautela reddantur Ecclesiæ indemnes, 53. a

Quadragesima prosequitur quintum capitulum Apostolicæ Regule, *Oportet Episcopum esse ornatum.* Et primo de ornatu

interiori, qui consistit in virtutibus, 53. a

Quadragesima prima, tractat de ornatu, qui consistit in gravitate, incessu, habitu, & temperantia potus & cibi, 54. b

Quadragesima secunda, declarat illud, *Hospitalem,* 55. b

Quadragesima tertia, illa duo, *Pudicum & Doctorem,* 56. a

Quadragesima quarta, illud, *Non vinolentum:* quòd est pars ejus quòd diximus *sup. 35. dist.* 57. a

Quadragesima quinta, illud, *Non percussorem,* 58. b

Quadragesima sexta, illud, *Non litigiosum,* 60. b

Quadragesima septima, illud, *Non cupidum, domui sue bene præpositum,* 61. a

Quadragesima octava, illud, *non neophytum,* 62. b

Quadragesima nona, prædicta præcepta Apostolicæ Regule sub compendio, & breviter recapitulat: Et ponit causas & rationes quare criminosi & vitiosi non debent in Episcopos promoveri, 63. a

Quinquagesima agit, de lapsu & reparatione Clericorum, 64. a

Quinquagesima prima, de Curialibus sive Officiariis ratiociniis obligatis, Judicibus & Advocatis ordinandis, vel non, 72. a

Quinquagesima secunda, de præpotatione sacrorum Ordinum, sive de Clerico per saltum promotò, 73. a

Quinquagesima tertia, de Curie annexis in Clero vel Monasterio recipiendis, vel non. Et ibi probat quare Curiales & aliter obligati ordinandi non sunt, *ibid.*

Quinquagesima quarta, de servis à non dominis manus illis non promovendis, nisi libertatem sint consecuti, *ibid.*

Quinquagesima quinta, de corpore vitiat, bigamis, illiteratis, publicè poenitentibus ordinandis, vel non, 76. a

Quinquagesima sexta, de filiis Presbyterorum, & natis de fornicatione & adulterio non ordinandis, 77. b

Quinquagesima septima, de baptizatis in ægritudine an ordinentur, 79. a

Quinquagesima octava, de Monachis non ordinandis sine licentia Abbatis, *ibid.*

Quinquagesima nona, de Laicis literatis non subito ordinandis, *ibid.* b

Sexagesima, ostendit ex quibus Ordinibus aliquis eligendus sit in Præpositum, vel Decanum, vel Archipresbyterum, vel Episcopum, 80. a

Sexagesima prima, ostendit quòd Laici non sunt eligendi in Episcopos, sed postulant, *ibid.* b

Sexagesima secunda, ostendit quòd Clericorum est eligere, & populi contentere, 82. b

Sexagesima tertia, probat quòd nullo modo Laici debent se ingerere electioni Episcoporum, 83. a

Sexagesima quarta, ponit quo tempore & quibus præsentibus debent Episcopi consecrari, 87. b

Sexagesima quinta, dicit quòd præsentibus omnibus Episcopis comprovincialibus vel se excusantibus debet Episcopus consecrari ab Archiepiscopis. Et ibi dicit quòd si ceteris ordinationi Episcoporum consentientibus duo vel tres contradicant, obtineat plurimorum sententia, 88. b

Sexagesima sexta, de promotione Archiepiscopi, qui ab omnibus Episcopis comprovincialibus est ordinandus, & non est consecrandus à paucioribus quàm à tribus, 89. b